

platione suspensus, ad cubile carnalium aciem mentis revo-
 cat, atque in occultis suis qualiter debeant conversari dis-
 pensat, dicens: propter fornicationem autem unusquisque
 suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.
 Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Et
 paulo post: nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu
 ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in
 idipsum, ne tentet vos satanas. Ecce jam caelestibus secre-
 tis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium
 cubile perscrutatur: et quem sublevatus ad invisibilia erigit,
 hunc miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis flectit.
 Caelum contemplatione transcendit, nec tamen stratum car-
 nalium sollicitudine deserit: quia compage caritatis summis
 simul, et infimis junctus, et in semetipso virtute spiritus ad
 alta valenter rapitur, et piestate in aliis aequanimiter infir-
 matur. Hinc etenim dicit: quis infirmatur, et ego non infirmor?
 quis scandalizatur, et ego non uror? Hinc rursus ait: factus sum
 Judaeis tamquam Judaeus. Quod videlicet exhibebat non amittendo
 fidem, sed extendendo pietatem: ut in se personam infidelium
 transfigurans, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri de-
 buisset: quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita es-
 set, impendi recte voluisse. Hinc iterum dicit: sive mente exce-
 dimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis: quia et semetipsum nove-
 rat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus
 condescendendo temperare. Hinc Jacob Domino desuper
 innitente, et uncto deorsum lapide, ascendentes ac
 descendentes Angelos vidi: quia scilicet praedicatorum
 recti non solum sursum sanctum caput Ecclesiae,
 videlicet Dominum contemplando appetunt, sed deor-
 sum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc
 Moyses crebro tabernaculum intrat et exit: et qui intus in
 contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urge-
 tur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium por-
 nat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum